NONNULLA DE HYDROPE-ASCITE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giovanni Gaetano Dall'Olio

NONNULLA
DE HYDROPE-ASCITE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM RITE CAPESSENDAM

JO. CAJETANUS DALL' OLIO

AXILIACENSIS

LEGEBAT

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1847

JACOBO BORTOLI

AXILIACI

MEDICO PERILLUSTRI

SALUTEM PLURIMAM

DICO

Hac solemni die, qua laurea medica honestor, nil magis cordi inest, quam ut amplissimis, si fieri potest, verbis gratissimi animi significationem erga te, mi Jacob, ostendam, cui tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Tu enim praestanti me semper affecisti benevolentia, beneficiisque adeo innumeris cumulasti, ut gravissime certe vituperarer, nisi Te, dum vivam, colerem atque observarem diligentissime. Equidem nec modo facere possum, quin prae dolore in lacrimas effundar, memoriam si repeto praeteriti temporis, quo puer adhuc cum essem, patre jam fratribusque morte heu! nimis cita amori meo praereptis, exhaustis inde etiam familiae bonis, mater mihi una, et recurrenti quidem morbo laborans, in tanta

rerum calamitate superstes remansit. Tunc vero cum eo miseriarum essem jactatus, desperandum ut fuerit, me numquam fore ut studiorum metam contingere, et medica decorari lauro possem; tua, mi Jacab, tua pietas, lubente Deo, effulsit, meque omnium, quos terra sustinet, afflictissimum per elargitiones et munificentiam non modo erexit, verum, quod magis est, ad illum etiam usque portum, ad quem hodie tandem aliquando appuli, suaviter comitavit. O te ipsa mihi vita jucundiorem, ut in meis votis est, ita Deus bene semper fortunet! Te patris malo, quam propinqui loco tenere, et velim judices monimenta tuorum erga me beneficiorum infixa esse animo meo sempiterna, meque in posterum tempus, quidquid ingenio et cura valebo, tibi, et dilectissimae uxori, liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum. Etiam atque etiam vale, et memor mei esto.

DE HYDROPE-ASCITE

Ascites, grece ἀσκίτης, nil aliud sibi vult quam uter, ex eo nimirum, quod liquidum in hoc morbo, perinde ac in utre, in abdomine continetur. Ascites hydrops est, qui, dempto hydrocephalo, frequentior in corpore humano occurrit, quique ex serosa in cavo abdominis colluvie constituitur; hujusmodi nomen antiquitatis amore adhuc retinatur; huic tamen nonnulli ex neotericis nomina hydro-gastri, hydro-peritonaei, hydro-abdominis substituunt. Diversa genera recensentur ascites: quoad causas habetur idiopathicus, symptomaticus, metastasicus: quoad naturam activus et passivus: quoad decursum acutus et chronicus: quoad sedem peritonaealis et abdominalis, liberus et cysticus: hisce et alia ascitis species addatur a sanguinis degeneratione aquosa dependens: pauca nunc de singulis. Idiopathicus vel primarius (protopathicus) ab essentiali quadam laesione in vasorum exhalantium et absorbentium actione enascitur; istiusmodi rari enumerantur casus, una fere semper cum anasarca decurrit. Symptomaticus vel secundarius (deuteropathicus), qui saepius in praxi contingit, ex aliquo semper alicujus abdominalis visceris organico morbo subsequitur; membrana enim serosa (peritonaeum) quamvis nullam huc usque cognitam habeat functionis connexionem cum organis, quae obvestit, sub hepatis tamen, lienis, ventriculi, uteri, intestinorumque affectione talem interdum ac tantam persentit impressionem, ut plus minusve liquidi

morbose secernat, ex quo ascites locum habet. Metastasicus ille dicitur, qui ex arthritide, vel aliquo febrili et praecipue vesiculari exanthemate retropulso, vel longiori, quam par esset, duratura dependet. Activus, sive etiam sthenicus, inflammatorius a potentiarum debilitantium defectu, ab evacuationis alicujus habitualis sanguineae suppressione, a processu in aliqua abdominis parte phlogistico producitur; hic facile ex eo dignoscitur, quod sub stimulantium usu exacerbantur phaenomena, e contrario imminuuntur, imo etiam non raro fugantur per sanguinis aut spontaneas, aut arte institutas depletiones, quod robusta corporis constitutione et temperamento sanguineo donatos, virilemque aetatem agentes adgreditur, quod demum cum omnibus characteristicis phlogoseos symptomatibus in scenam semper venit. Passivus, alio etiam nomine asthenicus, a deficienti totius organismi validitate, vi, cohaesione originem sumit; ejus diagnosis a causis, ab aegri constitutione atque aetate, et a remediis jam adhibitis facile desumitur; hic inversa ac praecedens se habet ratione. Acutus, qui cito passu post violentam peritonaei, aliorumve abdominis viscerum inflammationem supervenit, quique cum febri, aliisque phaenomenis potius ominosis concomitatur; chronicus, qui lente atque insidiose decurrens e causa universali, e viscerum abdominalium infarctu, e plurium morborum successione derivat, quique nullam ab initio saltem febrim, nullumque magni momenti phaenomenon offert, nuncupatur. Liberus vel quoque legitimus, independens, diffusus tum evenit, cum serosa collectio absque involucro in abdominis cavo aeque diffunditur, saccatus vel cysticus, cum serum in cystide continetur modo unica diversae crassitiei, modo divisa in plura loculamenta inter se communicantia nec ne, fluidum variae quantitatis in se continentis, modo vero cystis vesicularum numerum, hydatides simulantium, variae magnitudinis prodigiose includit, quae sejunctae fluido innatant: haec cystis peritonaeo, omento,

mesenterio, ventriculo, intestinis, hepate, liene, utero, ovariis haerere potest. Peritonaealis si in cavo peritonaei, abdominalis si intra illud et parietes internos abdominis serum colligitur, accidit. Ascites denique a sanguinis degeneratione aquosa dependens, cum ceteris semper corporis hydropibus conjungitur, habetur in anhaemia, in chlorosi, scorbuto, aliisque id genus, atque individuarum loca humida, paludosa, insalubria habitantium, illorumque, qui male se vestibus induunt, quique miserrime vivunt, proprius est. Nos vero brevitatis gratia nonnulla tantum de ascite libero, diffuso, legitimo loqui aggredimur, habito tamen opportuno et brevi ad ceteras ascitis species attinenti sermone. Ascitis liberus in sua evolutione nullum tenet determinatum typum, nulla idcirco periodus, nulla crisis habetur, neque hujusmodi morbo methodus ontologica, quae numerum constantem colligit symptomatum certo ordine et tempore se evolventium, adplicanda venit: hic diversimode incipit, interdum enim in pedibus exoriens, ad crura, ad femora et ad abdomen tandem adscendit atque evolvitur; saepe ex abdomine ad genitalia, ad femora, ad cutim, ad faciem, ad manuum dorsum diffunditur; saepius in abdomine nascitur et circumscribitur. Initio morbi seri collectio difficili negotio sive ab aegro, sive a medico advertitur, hinc obscura evadit diagnosis; progressu vero temporis eo semper magis abdomen intumescit et lacrimabilis symptomatum adparatus exsurgit. Ac primo quidem liquidum propter legem hydrostaticam proprio pondere bacilli fundum petit, elevatur inde jam jam progressive adaugens ad hypogastrii regionem, quae stante aegro tensa fit et tumida, sub dorsali autem decubitu ex abdominis inferiori superiora versus serum transcurrit, unde venit ut venter explanetur, emolliatur, atque aeger falso de ascitis evolutione suspicionem dimittat: crescit interim majorem semper in copiam aquosa colluvies, quae regionem scandit umbilicalem, hoc in tempore percussione in abdomine debite per-

acta undulatorius percipitur liquidi motus, nempe fluctuatio; effusio tandem ad culmen provecta diaphragma attingit, sursum impellit, ejus fornicis depressionem impedit, ac pectoris propterea cavum coarctat, atque abdomen sese miserandum in modum voluminosum praebet, et aeger prae viscerum pressione symptomatibus generalibus et localibus maxime torquetur. Ascites liberus simulari potest a tympanitide, graviditate, hydrometra, hydrope cystico, et parietum abdominalium. transeamus ad signa differentialia: ac sane tympanitis in media ac superiori incipit abdominis parte, sub aequa percussione sonum quemdam transmittit ipsius tantummodo proprium, nullam aeger patitur in ventre ponderis sensationem, quin imo solito leviorem se habet atque agiliorem, nullam in pedibus offert phlegmasiam neque in abdomine, cujus cutis elastica servatur et alba, neque tam gravia manifestantur phaenomena. Silentio praetermissis graviditatis signis pathognomonicis ab obstetrico tum interno tum externo examine obtinendis, femina praegnans colorem praesefert in vultu naturalem, ascitica e contra albo-lacteum; in illa mammae turgescunt atque lac saepe sub pressione emittunt, in hac flaccidae ac pendulae fiunt; in illa nullum generatim, in hac non pauca adparent symptomata. Hydrometra, sive uteri hydrops, 4
eandem aliquando ac ascites praesefert fluctuationem, eo tamen discrimine quod haec profundior sistit ac difficilior est sentitu, hydrometra lentiorem in modum progreditur, catameniorum fluxus aut supprimit aut pervertit, in recto intestino aut ipsum prope quemdam producit pressionis aut gravedinis sensum et cum minori stipatur symptomatum turba. Cysticus abdominis hydrops e tumore, dolore, pressione in illa, qua evolvitur, regione detegitur, ipsius fluctuatio primis saltem temporibus valde obscure obtinetur, neque hunc praecedit status cachecticus, anxietas minor, minor est sitis et pedum oedema, adpetitus diutius sustinetur. Diagnosis parietum abdominalium hydropis medico

sat experito oculorum tantum intuitu, manus pressione, symptomatum adparatu, et modo sese evolvendi facile elucet, cujus sedes est inter membranas et musculos, inter musculos et integumenta, inter musculorum vaginas.

Ad hujusce morbi causam proximam quod attinet, variae a medicis in medium proferebantur sententiae. Fuere, qui causam ascitis proximam a retardata vel omnino suppressa circulatione per ligaturam, obstructionem, compressionem, restrictionem, dilatationem aut alio quocumque modo in venis abdominalibus, alii in vasis lymphaticis, alii in arteriis, alii demum in alterutro ex hisce systematibus pendere putarunt: nos vero cum neotericis plurimis causam ascitis proximam in sublato quaque de causa aequilibrio inter secretionem et resorptionem, quarum prima valde aucta, altera imminuta prorsusque suppressa, in cavo abdominis sita locamus. Secretionis augmentum modo ex renum cutisque activitate imminuta, modo ex peritonaei, vel alterius visceris abdominalis irritatione repetendum erit, quo factum est ut vel peritonaeum loco vaporis, quem in statu normali secernit, magnam seri copiam effundat, vel in abdominis cavo colligatur quidquid sub ingenti humorum adfluxu ab inflammationis processu minimo consumitur.

Causae ascitem producentes aliae ad disponentes, aliae ad occasionales demandantur: ad primas referantur aetas tenella vel longaeva, licet equidem cuivis aetati communis sit morbus, temperamentum phlegmaticum, habitus corporis cachecticus, laxa constitutio, femineus sexus praesertim aetate critica, steriles autem quandoque etiam juniores corripiuntur. Ad occasionalium categoriam spectant omnes causae traumaticae abdomini illatae, uti verberationes, lapsus, constrictiones et sic porro, refrigerium aestuante corpore improvisum per aerem aut potus frigidos inductum, loca humida, paludosa, insalubria, luce carentia, pharmacorum solventium, narcoticorum, purgantium praecipue

drasticorum usus diu protractus, potus spirituosi, haemorrhagiae aut venae sectiones toties repetitae, menstruorum, haemorrhoidorum, sudoris, alvi, urinae evacuatio suppressa, exanthematum praesertim vesicularium, febrilium retropulsio vel diuturnitas, plethora, viscerum abdominalium infarctus, scirrhus, cancer, febres intermittentes typi praecipue tertiani, quartani jam pluries recidivantes, diarrhoea, dysenteria, vomitus diutius perdurans, media atque alia hujusmodi, quorum omnium primum tenet locum chronica peritonaei inflammatio, atque hepatis affectiones.

Nonnulla interdum prodroma ascitis evolutionem praenunciant; aeger tunc de laesa valetudine conqueritur, de dolore vago in abdomine, de pravo adpetitu, de enteralgia, gastralgia, flatulentiis, alvo obstipa, modo diarrhoica et ceteris: symptomata vero haec minimi facienda sunt, ad haemorrhoides, hysteriasim, hypochondriasim quoque spectant.

Ascites saepe absque ullo prodromo lente vel ocyus evolvitur, et symptomatum gravitas stat semper ratione directa cum liquidi secreti quantitate et causa, quo copiosior igitur est seri collectio, eo magis ominosa insurgunt phaenomena; quae, quo facilius causa amoveri potest, eo citius mitigantur, evanescunt. Revera usque dum liquidum parva est in copia, abdomen minime intumescit, atque aeger dolore tantum obtuso, pressione, et tensione ad lumbos afficitur, quae tamen omnia nihili aeger existimat. Adaucto in posterum sero abdomen sese elasticum, tumidum, frigidum exhibet, facile fluctuatio obtinetur, atque alia pro viscerum pressione consensualia phaenomena in medium proferuntur; adpetitus hinc laeditur, alvus obstipatur, urinae secretio imminuitur, quae spissa efficitur, fusca, crocea, cum sedimento modo roseo, modo rubro, modo lateritio, raro puriformi, sitis adaugetur, flatus evadunt copiosi, cum dolore atque inquietudine, icterus quoque comparet praesertim cum individuum ad

febres intermittentes, ad cachexias, ad animi pathemata pronum sit, digestio et chylificatio tarde, moleste, imperfecte perficitur, unde sanguificatio et circulatio languent, unde pulsus parvi fiunt, irregulares, intermittentes, inaequales, color cutis pallidus, terreus, succidus, oculorum conjunctiva albo-splendens, vel in caeruleum vergens colorem, nutritio et thermogenesis in ertubus progressive imminuitur, accedat huc illuc praecipue in vultu et manuum dorsu oedematia, et narium, ani, uteri haemorrhagiae. Serosa tandem secretione ad summum provecta abdomen mirum in modum intumescit, cujus venae nodosae, turgidae, tortuosae factae sunt, excavatio umbilicalis evanescit imo prominet, diaphragma in pectoris cavum elevatur, illudque coarctat, atque hunc symptomata thoracica exoriuntur, hinc tussis, singultus, dyspnoea permolesta, cardiopalmus, hisce addatur positio horizontalis denegata, desiderium quietis, gressus tardus, laboriosus, difficilis cum pedibus divergentibus, quandoque impeditus omnino, maculae lividae in externa ventris superficie, calor interne ardens, extremitates e contra frigefactae, sitis immodica, quae tamen observetur aliquando parca et moderata, dolor modo hic modo illic in abdomine ob filamentorum nerveorum distensione. Morbo denique ad extremum accedenti febris insurgit tabida, depascens, laethalis summa cum virium debilitate, brachiorum macie, diarrhoea, delirio, sopore atque ita aeger miserrime perit.

Sub cadaverum autopsia innumerae fere et semper variabiles organorum laesiones prae oculis cadunt: hoc unum constans est quod major minorve seri in abdomine collectio semper reperitur; liquidum vero hoc quantitative variat et qualitative, uti etiam videre est sub instituta paracentesi: quantitas seri ex paucis ad centum usque librarum pervenit, ad qualitatem quod attinet permulta occurrunt et physica et chaemica discrimina, si ad colorem spectes aquosa colluvies colorem saepe subflavum, citrinum, aut subviridem refert cum floccis albuminosis, vel fi-

brosis, aut pseudo-membranis in ipsa natantibus; alias color est flavus, pellucidus, ruber, sanguineis striis commixtus, raro brunus, niger, sanguinolentus: quoad ipsius odorem hic vel nullus, vel urinoso-foetidus est: quoad densitatem haec tenuis plerumque manifestatur, et liquida, modo lactiformis, turbida, crassa, gelatinosa, istiusmodi omnia discrimina et ab organo affecto, et a diuturna liquidi retentione emergunt; relate ad chaemicas qualitates nil certi per analysim consequitur nisi quod humor magnam aquae et albuminis copiam, natrum muriaticum, phosphatem ferri et calcis, kali sulphuricum et paucillum mucilaginis contineat; alii tamen alia principia reperiere. Satis de humore; aliquid nunc de organorum alteratione. Peritonaeum aliquando minime affectum adparet, saepe inflammatum, in sua textu inspissatum, nigras hic illic maculas, vel parva, innumera, albicantia, granulosa tubercula, vel pseudo-membranas, floccos albuminosos, ulcuscula offerens, nonnullae interdum adhaesiones in varias illud concamerationes adeo dividunt, ut per paracentesim humor omnino evacuari nequeat. Lymphatica vasa, quae a peritonaeo thoracicum ductum versus diriguntur, non raro valdopere avolata et sero plena conspiciuntur. Hepar pallens, albis profundisque, vel nigris diffusisque maculis refertum, plerumque volumine auctum, vel in substantiam adiposam, tuberculosam, scirrhosam commutatum, vel pro maxima parte in hydatides conversum adnotatur. Cystis autem fellea vacua ut-plurimum, calculos aut bilem degeneratam continens: intestina postrorsum propulsa, collapsa, constricta, quorum mucosa ruborem, maculas, ulcera, aliaque ostendit inflammationis signa. Lien stipatus, pergrandis, fere cartilagineus, sanguine quasi vacuus. Renes quoque, praesertim si a scarlattina retropulsa ascites ortum duxit, e statu normali recedunt, revera plus minusve tuberosa extus offeruntur, colore undulatorio praedita, interdum solito molliora, interne praecipue in substantia tubulari obsca-

rum colorem referunt, qui modum striis distinguendi aufert, saepenumero renes comparent granulosa, quorum superficies nescio quid peticulis simile ostendit; quae renum alterationes, quo diuturnior perdurabit morbus, eo sensibiliores conspiciuntur. Demum et in thoracis cava tristes animadvertuntur morbi sequelae, uti pulmonum constrictio et inflammatio, cordis forma et textura commutata, pericardii et pleurae hydrops. Ast vero hujusmodi omnes pathologici viscerum status, quos hactenus in medium attuli, non semper in cadaveribus ex ascite demortuis constanter et manifeste objiciuntur.

Ascitis prognosis pro causarum natura, pro aegri dispositione, aetate, temperamento, constitutione, pro liquidi secreti copia et retentione, pro symptomatum turba desumitur. Ascites ex alicujus abdominalis visceris, prae ceteris hepatis, et pancreatis obstructione, infarctu, scirrho, chronica phlogosi, ex phthysi, anhaemia, scorbuto, aut sanguinis degeneratione aquosa derivans lethalis est fere semper. Ascitis in individuo temperamento phlegmatico, habitu cachectico, aetate infantili vel longaeva, alias hoc morbo laborante, cum febri lenta, siti intensa, maculis in abdomine lividis, progressiva macie, manuum pedumque oedematia, dyspnoea, tussi sicca, urinis parcis, foetidis, intense rubris et sedimentosis, narium, uteri, ani recurrenti haemorrhagia concomitatus infaustam deponit prognosim: jam proximam praenunciant mortem frigus et macies summa extremitatum, meteorismus, vomitus, singultus, syncope diarrhoea, delirium, sopor. Acutus, activus, liber ascites minori, quam chronicus, passivus, cysticus stipatur periculo. Qui a menstruorum, haemorrhoidarum, sudoris suppressione, ab aliquo retropulso exanthemate vel arthritide, a nimio potuum frigidorum copiosorumque usu exoritur, ascites sanationis spem admittit. Ubi ascites ad resolutionem bonamque terminationem tendit, valde copiosae profluunt urinae cutisque siccitatem amittit, hinc non inu-

tilis in praxi evadit urinarum quantitatis, cum illa potuum sumptorum comparatio, nec non physica et chaemica aquae per paracentesim eductae inspectio, hinc si plus ab aegro mingitur, quam potatur, si aquae claro-citrinum praeseferunt colorem, hoc boni est ominis, mali si densae sunt, foetidae, albuminosae, gelatinosae, brunae, sanguinolentae, extant in auctorum operibus exemple nonnullorum, qui aquoso abundantique vomitu, vel seroso alvi fluxu e morbo se se liberarant, nonnullorum, qui fluido per umbilicum sponte jam erupto levamen saltem temporarium obtinuerunt.

In ascitis cura duae occurrunt indicationes: ac primo quidem causa ipsius attente investiganda, atque inde, si fieri potest, amovenda erit, oportet porro aquosam colluviem evacuemus, quod per subsidia medica vel chirurgica obtinetur.

Plerumque ascites indolis est activae, hypersthenicae, ab aliquo phlogistico processu substentus, qui medendi methodum antiphlogisticam evacuantem rite postulat, hinc sanguinis depletiones tum generales, tum locales pro re nata repetendae instituantur, debellata porro phlogosi purgantia hydragoga, quae revellentium quoque vicem optime gerunt, propinentur, uti calomel ad dosim altiorem, aloes, gummi gutta, scammonium, salina, quorum praeprimis acetas potassae, cremor tartari solus vel cum nitro, vel in decocto graminis: optimo etiam consilio praescribuntur diuretica, digitalis nempe purpurea vel sola, vel aliorum pharmacorum connubio, vel in pulvere, vel sub infusi forma; scilla marina in pulvere, ejusque praeparata, uti acetum et oxymel scilliticum, suppeditatur magno cum emolumento scilla simul cum calomelano, vel acetum scilliticum cum acetate potassae in decocto graminis, huc adde cantharides, terebinthinacea et praecipue balsamum coppaibae. Nonnumquam in ascitis cura nil drastica, nil prosunt diuretica; tunc ad diaphoretica deveniendum erit, huc spectant antimonialia, sambucina, liquor

Mindereri, aqua coob. lauro-cerasi vel sola, vel in decocto taraxaci aut ononidis spinosae, vel in polygalae senegae infusu atque alia hujusmodi: inter diaphoretica primus recenseri meretur calor, qui per balnea calida, vaporosa, per fomenta sicca, vel humida, per suffumigia praesertim ex sulphure externe adplicatur. Raro adeo emetica bonos in ascite gignunt effectus, ut eorum consilio minime obtemperandum sit, qui sedulam illorum administrationem ad vasorum inhalantium actionem augendam suadent; saepe enim, quae in peritonaeo, visceribusque ceteris abdominis morbosae adsunt perturbationes, sub emeticorum usu exasperantur, idcirco ante quam emetica propinet medicus, attente perpendat necessum est utrumne abdomen doleat, utrumne qua haemorrhagia, vel sanguinis ad cerebrum congestio pertimescenda sit.

Praeter omnia huc usque enumerata remedia, duo alia recentiora in ephemeridibus Omodei adnotata proponere vellem in ascitis cura, quae sunt radix cahincae et veratrina. Radix cahincae, a Sandras commendata, vel in decocto ex drachmis duabus, in aquae libra una, vel in pulvere a quadraginta granorum ad drachmas duas usque, vel acidum cahincicum ad dosim decem granorum, vel demum ipsius extractum aquosum a duodecim ad vigintiquatuor grana interne praescribitur: hocce pharmacum in ascitis cura minime spernendum venit, eo quod ipsius actio in tubum entericum alvinas dejectiones promovendo, atque in systema uro-pojeticum diuresim adaugendo, quin partes, cum quibus in contactum fertur, irritet, uno eodemque tempore dirigitur; radix igitur cahincae aptius, quam cetera jam superius laudata remedia, utpote quae plus minusve semper irritationis inducunt, in ascitis cura convenit, praesertim cum aeger nimia sensibilitate donatur, atque aliquod adhuc inflammationis vestigium sistit. Turnbul se per veratrinam externe adhibitam quam plures ascitis casus, cuicumque curae

methodo rebelles, ex integro sanasse asserit post quindecim circiter dies per frictiones mane et vespere in abdomine institutas sequenti linimento: «veratrinae grana quatuor, axungae porcinae unciam»; ulteriora fieri vellem experimenta hisce duobus ad sidera illatis pharmacis, ut eorum in ascite efficacia magis magis confirmetur. Passiva, asthenica ascites ea e contrario requirit remedia, quae organisationis validitatem, vim et cohaesionem adcommodatam restituere valeant, ut singularia organa et praesertim systema vasorum lymphaticorum proprias functiones perficiant, uti sunt vitae regimen blande nutriens, aer purus, martialia, vinum modice sumptum, aromaticae frictiones, moderatum corporis exercitium, equitatio, vectio, ammonium tum interne, tum externe, opium ejusque praeparata; caveat autem medicus ne passivam pro activa falso sumat, et sciat passivam ascitem perraro in praxi occurrere, immo etiam ex neotericis plurimi, quos inter Geromini, hujusmodi morbos ad activos semper referendos esse statuerunt. Ascites metastasicus externis indiget subsidiis quae sunt vesicantia, rubefacientia, irritantes cujuscumque generis frictiones, ut exanthema retropulsum rursus ad cutim revocetur. Si vero ascites ex aliquo abdominali organica vitia originem sumit, quod vasorum absorbentium actionem impedit aut supprimit, illud, si datum est, auferamus opus est per solventia, scilicet per mercurialia, quorum mercurius praesertim dulcis elata dosi cum cicutae extracto, per jodium, praesertim hydrojadas potassae interne atque externe sub pomatae forma, per aquam maris pro potu et balneo, atque alia quamplura hujus generis; sublata vero ascitis causa, quaecumque sit, purgantia, diuretica, diaphoretica in usum trahere debemus. Haec omnia hucdum jam recensita remedia pathologicam organi, a qua hydrops sustinetur, conditionem debellare, atque hinc morbosam seri exhalationem supprimere, et vasorum absorbentium activitatem excitare et erigere tendunt;

quo fit ut liquidum in abdomen collectum absorbeatur et per diarrhoeam, per sudores, per urinas adauctas e corpore eliminetur. Quod autem si ex centrali vel peripherica alicujus abdominalis visceris indissolubili alteratione ascites sustinetur, tunc de cura radicali actum est. tantummodo palliativa per repetitam paracentesim locum habet

Haec sunt, quae de hydrope-ascite coram vobis, Praeceptores praestantissimi, pro ingenii mei tenuitate, dicere habui. Si quid minus recte contra voluntatem meo huic primo in scientia medica tractamini irrepsit, id mihi vestra humanitas remittat, precor, atque condonet. Ceterum in referenda vobis gratia pro tot beneficiis, quae in me contulistis, hoc repromitto, nullum tempus futurum, quo non ego, ubicumque terrarum fuerim, vestrum memoriam praestanti colam benevolentia

THESES DEFENDENDAE

I.

Phrenologia firmis caret fundamentis ad hominum inclinationes detegendas

II.

Paracentesis in ascite uti prophylactica, vix, ac ne vix quidem, umquam uti radicalis cura habenda

III

Inflammatio textus organicos minime destruit.

IV.

Quodvis vitae stadium propriis afficitur morbis, et propriam postulat medelam.

V.

Quo simplicior therapia, eo morbi sanatio facilior.

VI

In quovis morbo princeps sistit momentum regimen diaeteticum congruum